

# EPISTULA LEONINA

## XLIV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

**MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.**

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**QUADRAGESIMAM QUARTAM (44) !**

## EL 44



### ARGUMENTA

**SENTENTIOLA CICERONIS – DE SENECA PHILOSOPHO (I) – DE URBE ROMA (I) – MYTHI GRAECORUM (XXIV) - VOCABULA DOMESTICA (VIII).**

**\*\*\*VOTA NATALICIA\*\*\***

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*valdē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam  
quadragesimam quartam.*

*Primo loco Te monemus verborum, quae de novis vocabulis  
configendis fecit Cicero ipsissimus.*

*Secundo loco legas de Senecā philosopho (I).*

*Tertio loco invenies urbem Romam Latinē descriptam.*

*Quarto loco pernoscas Mythorum Graecorum partem vicesimam  
tertiam (XXIV) Latinā veste instructam.*

*Denique quinto loco Tibi offeram multa verba nova secundum  
praeceptum Ciceronis novis rebus imposita.*

*Pancraticē vale et perge mihi favere!*

*Medullitus Te salutat*

**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**




<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Die Saturni, 25º m. Dec., a.2010**





**SUNT ENIM REBUS NOVIS  
NOVA PONENDA NOMINA**

**MARCUS TULLIUS CICERO**  
**(106-43 a.Chr.n.)**

cfr CICERO, De natura deorum I 44 ...Quod quoniam ferê constat inter omnis non philosophos sôlum, sed etiam indoctos, fatemur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive praenotionem deorum – **sunt enim rebus novis nova ponenda nomina**, ut Epicurus ipse πρόλημψιν appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat -, hanc igitur habemus, ut deos beatos et immortales putemus.

## DE SENECA PHILOSOPHO (I)

Symbola, quam e Wikipediâ encyclopaediâ liberâ excerptam in Latinum convertit  
*Nicolaus Groß.*



Seneca (imago ficta collectionis rerum antiquarum Berolinensis)

**Lucius Annaeus Seneca** sive **Seneca minor** (qui natus est circa annum 1 p.Chr.n. in urbe Cordubâ, mortuus 65 p.Chr.n. prope Romam), fuit Romanus vir advocatus et politicus, qui tragoediis operibusque suis, quibus philosophiam stoicam tractavit, factus est unus ex aetatis suaem auctoribus plurimum lectis. Orationes, quibus in claritudinem pervenit, nobis non sunt relictæ. Ex anno 49 Seneca educator fuit praecipuus Neronis, imperatoris futuri. Ut eum præpararet ad officia futura, Seneca

in commentario explanavit, quare sapientis imperatoris esset clementer agere (quod opus inscribitur *De clementia*). Anno 55 Seneca munus gessit consulis suffecti. Seneca studebat quidem inclinationi animi Neronis ad nimium amorem sui et violentiam adversari eandemque mitigare, sed haec studia magistri ad irritum ceciderunt. Postremo imperator, cum Senecam suspicaretur coniurationis Pisonianae participem fuisse, eidem mandavit, ut ipse sibi mortem conscisceret. Seneca huic mandato sine morâ oboedivit.

## **Index argumentorum**

- 1 Vita et opus inter se coniuncta
  - [1.1 Initia incerta](#)
  - [1.2 Consolator in Corsica exulans](#)
  - 1.3 Dux principis futuri
  - [1.4 Participem fuisse imperii Neroniani praeparandi](#)
  - [1.5 Incommoda potestatis participandae](#)
  - [1.6 Recessus et otium ad opera posteriora](#) adhibitum
  - [1.7 Exspectatio mortis stoica](#)
- 2 Seneca philosophus
  - 2.1 Stoicus sui generis
  - [2.2 Hominem societati esse adjunctum et officiis obligatum](#)
  - [2.3 Eum pro captu aetatis suae defendere iura mulierum servorumque](#)
  - [2.4 Praenuntius sapientiae individualis](#)
  - [2.5 Seneca quales consideret deitatem et mortem.](#)
- . 3 Seneca tragoediographus.
  - [4 Seneca elocutionis Latinae formator](#)
  - 5 Receptio operum Senecanorum
  - 6 Opera Senecae selecta
  - 7 Litterae ad Senecam spectantes
    - 7.1 Testimonia et editiones
    - [7.2 Litterae secundariae](#)
  - 8 Iunctiones interretiales
  - . 9 Locorum testimonia singulalia

## **1 Vita et opus Senecae inter se coniuncta**

Verba, quae spectant ad propriam vitam, in operibus Senecas rarissimè inveniuntur. Hac de re non multum loquitur, quamquam persuasum ei fuit opera sua multum valere ad posteros:

«*Quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili: habebo apud posteros gratiam, possum mecum duratura nomina educere*» (Epist.2,21,5).

Cum Seneca de vitâ suâ propriâ in scriptis suis tacere soleat, perdifficile est invenire, quibus temporibus singula opera scripserit, praesertim vix

quicquam certi scimus de ordine, quo tragoedias suas confecerit. Tamen plerique eorum, qui de Senecae vitâ scripserunt, opinantur opera illius plus minusve coniuncta esse cum statu vivendi, quo ille fuerit. Inde consequitur Senecam non eo philosophatum esse, quod novam rationem cogitandi invenerit, sed praecipue, quod doctrinam Stoicam adhibuerit «pro peculiari statu vitae et necessitate vivendi»<sup>1</sup>. In posterioribus quoque scriptis suis verbis effert se philosophiâ stoicâ esse imbutum:

*Negant nostri sapientem ad quamlibet rem publicam accessurum;...*

(De otio VIII 1).

At negat sibi esse legem nihil contra Stoicos committere:

*Hoc Stoicis quoque placere ostendam, non quia mihi legem dixerim nihil contra dictum Zenonis Chrysippie committere, sed quia res ipsa patitur me ire in illorum sententiam, ...* (De otio III,1).

Cursu vitae suae vario Seneca compluries coactus est, ut se praepararet ad fortunae inclinationes ferendas; necnon tales more Stoico comprobabat (De providentia 5,4):

*...boni uiri laborant, inpendunt, inpenduntur, et uolentes quidem; non trahuntur a fortunâ, sequuntur illam et aequant gradus; si scissent, antecessissent».*

E scriptis Senecae philosophicis appareat, quanta fuerit multiplicitas rerum, quas in re publicâ versans expertus sit, quantaque varietas personarum, quas ibidem gessit. Seneca bene scivit pro statu hominis et rei publicae varios modos esse probê ac decôrê agendi :

*«Vtcumque ergo se res publica dabit, utcumque fortuna permittet, ita aut explicabimus nos aut contrahemus, utique mouebimus nec alligati metu torpebimus. Immo ille uir fuerit, qui, periculis undique imminentibus, armis circa et catenis frementibus, non alliserit uirtutem nec absconderit: non est enim seruare se obruere. (5) Vt opinor, Curius Dentatus aiebat malle esse se mortuum quam uiuere: ultimum malorum est e uiuorum numero exire antequam moriaris. Sed faciendum erit, si in rei publicae tempus minus tractabile incideris, ut plus otio ac litteris uindices, nec aliter quam in periculosâ nauigatione subinde portum petas, nec exspectes donec res te dimittant, sed ab illis te ipse diiungas».* (De tranquillitate animi V 4-5).

## 1.1 Initia incerta

Quoto anno Seneca natus sit, nec traditum est nec certê potest definiri. Ii qui nuperrimê studuerunt huic quaestioni solvendae, opinantur illum natum esse anno primo p.Chr.n.<sup>2</sup>

Seneca Cordubâ in urbe Hispaniae natus adhuc bracchiis materterae impositus Romam pervenit, ubi ab eâdem muliere educari perrectus est. Seneca maior pater eius, qui fuit ordinis equitum, videtur voluisse, ut

<sup>1</sup> Maurach 2005,S.1.

<sup>2</sup> Maurach 2005, p.16; cfr Fuhrmann, p.10, Giebel, p.7.

filius, cui nomen suum indidisset, a primis pueris mediâ in urbe imperii Romani principe adolescens assuesceret ad modum loquendi Romanorum elegantiores.<sup>3</sup> Unâ cum Helviâ uxore<sup>4</sup> Seneca maior habuit duos filios alios. Novatus Senecae frater maior natu nomine Gallionis adoptivo appellatus a.51/52 p.Chr.n. factus est proconsul provinciae Achaiae et recusavit querelam Iudeorum in Paulum apostulum factam; postea suscepit munus consulis. Seneca ei dedicavit tria opera, inter quae sunt *De ira* et *De vita beata* scripta. Mela Senecae frater minor possessionem gentis Cordubensem suscepit administrandam.<sup>5</sup>

Seneca maior cum arti oratoriae assiduê studeret, opus scripsit, quo vehementer vituperavit modum huius artis tractandae suâ aetate nimis artificialē.<sup>6</sup>

Hanc in rem filius eiusdem nominis praematurê incubuit. Verisimile est eundem non solum arte oratoriâ, sed etiam iurisprudentiâ excellentissimê institutus esse<sup>7</sup>, ut praepararetur ad munus advocati, quo fungi nemo poterat nisi instrumentorum rhetoriconum optimê peritus.

At Senecae minori exercitia rhetorica multo minus cordi erant quam praecepta philosophica, quibus imbutus est a Sotio atque Attalo magistris suis. A quibus – ut exemplum afferamus – monitus est, ut per quoddam tempus carne abstineret, quia hoc prodesset cogitationi.<sup>8</sup>

Culcitra dura, quae sibi commendata erat ad lectum sternendum, a Senecâ adhibita est usque ad senectutem. Necnon antequam obdormivit, secundum consilium Socratis facta sua scrutabatur et remetiebatur:

*«Vt̄r hac potestate et cotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est et conticuit uxor moris iam mei conscientia, totum diem meum scrutor factaque ac dicta mea remetior; nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo.»* (De ira III XXXVI 3).

Seneca a primis pueris et per totam vitam valetudinis erat improsperae: laborabat enim asthmate sive spiritu angustiore et spirandi meatuum inflammatione, i.e. bronchitide chronicâ. Febris et spiritûs defectione Seneca iuvenis tam vehementer vexabatur, ut non multum abesset, quin sibi conscisceret mortem voluntariam.<sup>8</sup>

---

<sup>3</sup> Maurach 2005, p.18.

<sup>4</sup> Fuhrmann, p.20, commemorat Helviam fuisse ex eadem gente Helviorum oriundam ac matrem Ciceronis.

<sup>5</sup> Giebel, p.10 et Fuhrmann, p.22sq. Mela filium habuit Lucanum poetam.

<sup>6</sup> fuse de hac re refert: Fuhrmann, p.25-42.

<sup>7</sup> Maurach 2005, p. 19sq.

<sup>8</sup> Fuhrmann, p. 48sq.

<sup>8</sup> Fuhrmann, p. 45sq.

Valetudo Senecae eo demum tempore aliquatenus firmata est, quo 30 annos natus se contulit Alexandrîam Aegyptiam caelo mitorem, ubi habitavit apud materteram, quae connubio coniuncta erat cum praefecto Aegypti Romano. Eadem mulier Senecam Romam reversum, ubi in iudiciis advocatus iam in quandam claritudinem pervenerat, adiuvit, ut idem cursum honorem percursurus quaesturam susciperet.<sup>9</sup>

Ex Aegypto reversus Seneca priora scripsit opera philosophica. In *Consolatione ad Marciam* (VIII 2) studuit matris tristitiam levare eamque adhortari, ne desperaret de filio amisso:

*Manet quidem tibi, Marcia, etiamnunc ingens tristitia et iam uidetur duxisse callum, non illa concitata qualis initio fuit, sed pertinax et obstinata; tamen hanc quoque tibi aetas minutatim eximet: quotiens aliud egeris, animus relaxabitur.*

Praeterea composuit opus tripartitum, quod inscribitur *De irâ*. Hôc in opere Seneca cogitationes Stoicorum veterum receptas ratione ethicâ et historicâ et politicâ tractavit, necnon, quantum attinet ad ethica, animo moderando etiam maiorem vim attribuit:

*...Exegisti a me, Nouate, ut scriberem quemadmodum posset ira leniri, nec inmerito mihi uideris hunc praecipue adfectum pertimuisse maximê ex omnibus taetrum ac rabidum. Ceteris enim aliquid quieti placidique inest, hic totus concitatus et in impetu est, doloris armorum, sanguinis suppliciorum minimê humanâ furens cupiditate, ..*  
(*De Ira* I, 1, 1).

*Optimum est primum inritamentum irae protinus spernere ipsisque repugnare seminibus et dare operam ne incidamus in iram. Nam si coepit ferre transuersos, difficilis ad salutem recursus est, quoniam nihil rationis est ubi semel adfectus inductus est iusque illi aliquod uoluntate nostrâ datum est: faciet de cetero quantum uolet, non quantum permiseris».* (*De Ira* I, VIII 1).

Seneca putavit iram temperari posse ideoque hoc necessario fieri educatione.

*De ira II, I 4-5. Nobis placet nihil illam per se audere sed animo adprobante; nam speciem capere acceptae iniuriae et ultionem eius concupiscere et utrumque coniungere, nec laedi se debuisse et uindicari debere, non est eius impetus qui sine uoluntate nostrâ concitatur. Ille simplex est, hic compositus et plura continens: intellexit aliquid, indignatus est, damnauit, ulciscitur: haec non possunt fieri, nisi animus eis quibus tangebatur adsensus est. ...De ira II, 18 Quoniam quae de irâ quaeruntur tractauimus, accedamus ad remedia eius. Duo autem, ut opinor, sunt: ne*

---

<sup>9</sup> Quando hoc factum sit, etiam non certo scimus; Maurach 2005, p. 28, verisimile esse dicit Senecam quaesturam non gessisse ante annum 35 p.Chr.n.

*incidamus in iram, et ne in irâ peccemus. Vt in corporum cura alia de tuendâ ualetudine, alia de restituendâ praecepta sunt, ita aliter iram debemus repellere, aliter compescere. Vt uitemus, quaedam ad uniuersam uitam pertinentia praecipientur: ea in educationem et in sequentia tempora diuidentur. 2 Educatio maximam diligentiam plurimumque profuturam desiderat; facile est enim teneros adhuc animos componere, difficulter reciduntur uitia quae nobiscum creuêrunt.*

In irâ temperandâ Seneca maximam vim attribuit moribus adulescentis peculiaribus observandis, quia e.g. laudando unâ ex parte conscientia sui possit confirmari, ex alterâ parte foveri possunt superbia atque iracundia. Itaque modo nimium moderandum esse, modo alacritatem accendendam. Senecae praeceptum paedagogicum, quo dignitas hominis respicitur, appareat ex his verbis:

*Nihil humile, nihil seruile patiatur; numquam illi necesse sit rogare suppliciter nec prosit rogasse, potius causae suae et prioribus factis et bonis in futurum promissis donetur. (De ira 2,21,4).*

## 1.2 Consolator in Corsicâ exulans

Aetate Augusti natus, Tiberio imperium suscipiente adulescens, Caligulâ principatum ineunte advocatus et senatûs particeps: ita Senecanae vitae quattuor decennia priora referri possunt ad historiam principatûs prioris. At domus Iulio-Claudia 41 demum anno ad curriculum vitae Senecanae vim habuit graviorem eo quod Caligula tyrannico more gloriatus est<sup>10</sup> Caligulâ autem sublato Seneca a Claudio successore illius in exilium Corsicum expulsus est. Hoc factum est Messalinâ auctrice, quae tertio connubio cum Claudio coniuncta Iuliam Livillam<sup>11</sup>de medio tollere voluit, ne eadem sibi fieret rivalis.<sup>12</sup>

Itaque Messalina criminata est Livillam cum Senecâ stuprum fecisse. Nemine nisi Claudio imperatore in senatu defendantem impediri potuit, ne Seneca capitum damnaretur. Cum Seneca damnaretur relegationis, non deportationis, possessio et iura civilia ei relictam sunt.<sup>13</sup>

Seneca per octo annos in Corsicâ exul remansit. Duo opera consolatoria illo tempore scripta nobis relictam sunt, in quibus Seneca partim pandit se more Stoico fato oboedire, partim urgenter optare, ut exilium finiretur. Consolans ipse se praestabat solacium querentem, cum solitudine in annos magis vexaretur.

<sup>10</sup> Cassius Dio (59, 19, 7f.) de hac re praeter alia refert Caligulam splendoris alieni impatientem capitum damnare voluisse Senecam, cum is in senatu splendidam actionem habuisset. At una ex concubinis dissuadens Caligulam ab hac re facienda avertisse; num hoc revera factum sit, disputat M. Griffin: *Seneca*. Oxford 1976, p. 53-57.

<sup>11</sup> Hic agitur de Iuliâ Livillâ minore, quae distinguenda est a Livillâ.

<sup>12</sup> Iulia Livilla Caligulâ mortuo ex exilio, in quod a fratre erat missa, ad aulam reversa, ubi eodem anno Claudio patruo subscribente capitum damnata est (Giebel, p. 51).

<sup>13</sup> Fuhrmann, p. 92sq.

Consolatione ad Helviam matrem scriptâ, quae exilio filii durê affecta erat, Seneca affirmabat se in Corsicâ non esse miserum neque talem fieri posse<sup>14</sup>. Quidni fieri posse, ut ad loci mutationem assuesceret, quia tot sidera caelestia totque gentes humanae continuo moveri (Consolatio ad matrem Helviam VI,7sqq.):

*7. ...caelestium autem natura semper in motu est, fugit et uelocissimo cursu agitur. Aspice sidera mundum inlustrantia: nullum eorum perstat. <Sol> labitur adsiduê et locum ex loco mutat et, quamuis cum uniuerso uertatur, in contrarium nihilo minus ipsi mundo refertur, per omnîs signorum partes discurrit, numquam resistit; perpetua eius agitatio et aliunde alio commigratio est. 8. Omnia uoluuntur semper et in transitu sunt; ut lex et naturae necessitas ordinavit, aliunde alio deferuntur; cum per cetera annorum spatia orbes suos explicuerint, iterum ibunt per quae uenerant: i nunc et humanum animum, ex isdem quibus diuina constant seminibus compositum, molestê ferre transitum ac migrationem puta, cum dei natura adsiduâ et citatissimâ commutatione uel delectet se uel conseruet. VII. 1. A caelestibus agedum te ad humana conuerte: uidebis gentes populosque uniuersos mutasse sedem...*

Opusculo exeunte scripsit haec (Consolatio ad Helviam matrem XX 1):

*...qualem me cogites accipe: laetum et alacrem uelut optimis rebus. Sunt enim optimae, quoniam animus omnis occupationis expers operibus suis uacat et modo se leuioribus studiis oblectat, modo ad considerandam suam uniuersique naturam ueri audius insurgit.*

At multo minor rerum confidentia a Seneca praestatur in Consolatione, quam scripsit ad Polybium libertum aulicum, qui fuit a libellis, i.e. curabat litteras petentium. Cui aulico Seneca eo fine blanditus esse videtur, ut Claudius imperator Polybio persuadente exilium finiret<sup>15</sup>.

Quod scriptum Seneca de mente suâ debili et obbrutescente lamentatus concludit verbis his excusatoriis (Consolatio ad Polybium XVIII 9):

*...Quae si aut parum respondere ingenio tuo aut parum mederi dolori videbuntur, cogita, quam non possit is alienae vacare consolationi, quem sua mala occupatum tenent, et quam non facile Latina ei homini verba succurrant, quem barbarorum inconditus et barbaris quoque humanioribus gravis fremitus circumsonat.*

Seneca, quod hac consolatione vix offucaret se suae utilitati servire et scripto exeunte panderet misericordiam sui ipsius, a nonnullis irrigus et vituperatus est<sup>16</sup>; neque eâdem scriptiunculâ exilium Senecae est finitum.

<sup>14</sup> Consolatio ad matrem Helviam VI 7 – VII 7.

<sup>15</sup> Maurach 2005, p.75; Polybius videtur a.43 fratrem suum minorem amisisse. Haec res a Senecâ dicitur causa fuisse consolationis ad Polybium scribendae.

<sup>16</sup> Fuhrmann, p. 103: „Postiores hoc opusculum vernile animo depresso scriptum sat aegrê tulérunt. Cassius Dio scribit hanc rem acerrimê contradixisse praeceptis Senecae philosophicis...“ Friedländer affirmit Senecam Polybio indignê adulatum esse et memorat Senecam, quod eum pudêret, postea frustra conatum esse hoc scriptum delere (Ludwig Friedländer: *Der Philosoph Seneca* (1900). In: Maurach (ed.), 2. ed. 1987, p. 106).

### 1.3 Dux principis futuri

A duabus mulieribus fortuna Senecae exulis versa est: a Messalinâ Claudii uxore et Agrippinâ minore illius nepte. Messalina, quae effecerat, ut in Iuliam Livillam et Senecam animadverteretur, et veneris et potestatis cupiditate inducta eo processit, ut Romae Claudio absente nuberet Gaio Silio consuli; quod ambo mox morte luêrunt. Nunc Agrippina minor, quae – praeter Iuliam Livillam – erat neptis Claudii olim exilio multata, studuit Neroni, quem filium habuit primo connubio genitum, eo occasionem praebere principatum assequendi, quod Claudio persuasit, ut se in matrimonium duceret. Neronis autem educatorem Agrippina destinaverat Senecam, quem necesse est eadem, sicut soror eius, novisset antequam in exilium missus est.<sup>17</sup>

Senecae, qui primo Athenas iisse videtur<sup>18</sup>, hoc munus sibi oblatum recusare vix licuit. Nam in domo caesareâ facile fieri poterat, ut favor verteretur in iram et odium. Anno 50 Seneca (procul dubio imperatore adiuvante) munus praetoris suscepit, quod est munus omnium magistratum Romanorum summo proximum. Ubi primum Agrippina coniunx principis facta est, habenis durâ manu sibi arreptis Claudio, qui Britannicum a Messalinâ partum iam habuit successorem, persuasit, ut adoptaret Neronem. Nunc Neroni, qui esset tribus annis maior natu quam Britannicus, ius fuit principatum petendi. Non quidem erant leges certae, quibus praescriptus erat ordo succedendi, sed iam in eam consuetudinem ventum erat, ut successor principatûs destinaretur adoptione. Haec erat condicio fortunae, qua Seneca involutus educator Neronis factus est.

Dubium non est, quin Senecae, postquam per octo annos vitam egit simplicem, vita denuo Romae agenda tam contraria visa sit, ut animus eius plurimum commoveretur.<sup>19</sup> Eodem tempore Seneca scripsit „De brevitate vitae“. Quo opere describitur modus vivendi et cogitandi, qui multimodis similis est ei, quo sunt homines urbium incolae hodierni.<sup>20</sup>

Imprimis Seneca in eo opere studet demonstrare plerosque homines magnam partem temporis vitae perdere eo, quod falso agant. Quod demonstrat magnâ exemplorum copiâ allatâ (De brevitate vitae II 1sq.):

*...alium insatiabilis tenet auaritia; alium in superuacuis laboribus operosa sedulitas; alius uino madet, alius inertiam torpet; ...2 multos aut affectatio alienae formae aut suae querella detinuit; plerosque nihil certum sequentis uaga et inconstans et sibi*

<sup>17</sup> Sørensen, p. 122.

<sup>18</sup> Fuhrmann, p. 163sq.

<sup>19</sup> cf. Sørensen, p.116.

<sup>20</sup> Giebel, p.64.

*displicens leuitas per noua consilia iactauit; quibusdam nihil quo cursum derigant placet, sed marcentis oscitantisque fata deprendunt,..*

Seneca verbis effert homines plurimum falli eo, quod pecuniae parcant tenacissimē, sed tempus vitae profundant levissimē (De brevitate vitae 3,1):

*... nemo inuenitur qui pecuniam suam diuidere uelit, uitam unusquisque quam multis distribuit! Adstricti sunt in continendo patrimonio, simul ad iacturam temporis uentum est, profusissimi in eo cuius unius honesta auaritia est.*

Etiam eum tempus vitae profundere, qui sana consilia differat in senectutem, quam num assecuturus sit, omnino nesciat (De brevitate vitae 3,5):

*...Non pudet te reliquias uitae tibi reseruare et id sôlum tempus bonae menti destinare quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc uiuere incipere cum desinendum est? Quae tam stulta mortalitatis obliuio in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia et inde uelle uitam inchoare quo pauci perduxerunt?*

(ALTERA PARS SEQUETUR)

## SYMBOLAM WIKIPEDIANAM DE SENECA PHILOSOPHO SCRIPTAM IN LATINUM CONVERTIT



**LEO LATINUS**

NICOLAUS GROSS  
<http://www.leolatinus.com/>

## DE URBE ROMA (I)


Symbola, quam e Wikipediâ encyclopaediâ liberâ  
excerpsit Nicolaus Groß



<b>res publica:</b>	Italia
<b>regio:</b>	Latium
<b>provincia:</b>	Roma (RM)
<b>lineae coordinatae:</b>	<a href="#">41° 53' N, 12° 29' O</a> : <a href="#">41° 53' 0" N, 12° 29' 0" O</a>
<b>altitudo:</b>	37 <a href="#">m s.l.m.</a>
<b>area:</b>	1.285,306 km <sup>2</sup> (chiliometra quadrata)
<b>numerus incolarum:</b>	2.724.347 ( <i>d.l m..Jan. a.2009</i> ) <sup>[1]</sup>
<b>densitas</b>	2.120 incolae/chiliometrum quadratum
<b>populationis:</b>	
<b>numerus cursualis:</b>	00100 (generalis) et 00121–00199
<b>numerus</b>	+39–06
<b>praeselectorius:</b>	
<b>numerus ISTAT</b>	058091
<b>demonymum:</b>	Romani
<b>patroni tutores:</b>	Petrus et Paulus
<b>situs interretialis:</b>	<a href="http://www.comune.roma.it">www.comune.roma.it</a>

**Roma** est caput Italiae. Quae cum ipsâ in regione urbanâ habeat 2,7 ferê miliones incolarum, in suburbanâ 3,3 ferê miliones, maxima est omnium Italiae urbium. Roma in Latio regione ad ripas Tiberis fluminis sita est.

Haec metropolis cum aliis rebus, tum illâ praestantiâ, qua insignis fuerat aetate antiquâ, appellata est „Urbs aeterna“. Roma ex anno 1871 est caput Italiae unitae et sedes Ordinis Equitum Melitensium, qui est subiectum iuris gentium proprium, sed non publici iuris. Praeterea haec urbs est sedes regionis Latii provinciaeque Romae administrativa. Civitas Vaticana est territorium urbi inclusum. Sedes Vaticana est sedes episcopi Romae papaeque, i.e. praceptoris Ecclesiae Romanæ Catholicae.



Roma cum abundantissima sit monumentorum museorumque, ab innumeris hominibus philotheoris<sup>1</sup> frequentatur. Pars Romae antiqua et Ecclesia Cathedralis Sancti Petri et Civitas Vaticana a. 1980 ab UNESCO declaratae sunt hereditates mundi cultuales. Praeterea Roma est sedes ipsarum FAO et IFAD et WFP, quae Organisationi Nationum Unitarum (UNO) sunt subordinatae.

## Index argumentorum

1 Geographia

- 1.1 Situs geographicus
- 1.2 Dispositio urbis
- 1.3 Clima

<sup>1</sup> philotheōrus, -ī m. *Angl. tourist.*

## 2 Historia

- 2.1 Roma quomodo condita sit
- 2.2 Aetates regni et rei publicae
- 2.3 Aetas caesarum
- 2.4 Antiquitas posterior et interitus
- 2.5 Medium aevum et aetas nova
- 2.6 Urba Aeterna quae dicitur
- 2.7 Caput Italiae
- 2.8. Hodie Roma qualis sit
- 2.9 Religiones
- 2.10 Numerus incolarum quomodo mutetur

## 3 Res politicae

- 3.1 Burgimagister
- 3.2 Consilium commune
- 3.3 Quibus cum aliis urbibus fraternitate coniuncta sit.

## 4 Cultus civilis et res visu dignae

- 4.1 Conspectus generalis
- 4.2 Theatra
- 4.3 Musea
- 4.4 Aedificia
- 4.5 Viridaria
- 4.6. Res athleticae
- 4.7 Cibi delicati

## 5 Oeconomia et infrastructura

- 5.1 Oeconomia
- 5.2 Commeatus vehicularis
- 5.3 Mediamina
- 5.4 Eruditio
- 5.5 Organisations internationales

## 6 Urbis Romae filii filiaeque illustrissimae

7 Libri adhibiti - 8 Praemia honorifica - 9 Cinemata - 10 Aliae symbolae Wikipedianae 11 Adnotationes -

## 12 Iunctiones interretiales

# 1 Geographia

## 1.1 Situs geographicus




Romae conspectus. In parte antica vides Musea Vaticana.

Roma sita est mediâ in regione Tiberinâ, haud procul a Mari Tyrrhenico, 37 ferê metris altior mari. In orientalem directionem siti sunt Montes Abrutii, in septentrionali-orientalem Montes Sabini, in australem Montes Albani. Roma sita est in planicie Tiberinâ, in qua Tiberis et Anio brevi ante urbem confluunt. Remotior regio circumiecta est Campania Romana.

Roma provincia in septentrione affinis est provinciis Viterboni atque Reati (Reate, -is n., Italicê *Rieti*), in oriente affinis est provinciae Aquilae in regione Abrutianâ sitae et in meridie affinis est Provinciis Frusinoni (Italicê: *Frosinone*) et Latinae.

## 1.2 Dispositio urbis




Roma dividitur in quattuor areas et 19 municipia et 155 districtūs urbanos. Civitas vetus (municipium I) est divisa in 22 regiones, quae partim exortae sunt aetate antiquā. Eadem hodie non iam valent ad administrationem.

Conspectus Romae vetustae fideliter redditur simulacro gypseo, quod appellatur *Plastico di Roma Antica*. Idem invenitur in Museo Cultūs Civilis Romani (*Museo della Civiltà Romana*)<sup>[2]</sup>, est longitudine 17, latitudine 16 metrorum, ducentis quinquaginta partibus minus quam urbs originalis.

### 1.3 Clima urbis Romae

Quelle: Geoklima 2.1



Clima Romae insigne est situ huius urbis mediterraneo; est enim aestate aridum, hieme umidum. Ariditas aestiva efficitur cingulo pressionis altioris subtropico – qua in regione pressionis altioris aëre delabente nubes dissolvuntur. Hieme cingulum pressionis altioris subtropicum in meridiem demigrat, e septentrione autem zephyri umidi non-tropici adveniunt.

Temperatura anni media est 15,5 graduum Celsianorum; media copia praecipitationum annua est 880 milimetrorum.

Menses calidissimi sunt Iulius et Augustus, quibus calor est medius 24,5 usque ad 24,7 graduum Celsianorum; iidem menses sunt etiam aridissimi: habent enim medium copiam praecipitationum 14 usque ad 22 milimetrorum.

Praecipitationes copiosissimae fiunt mensibus Octobri, Novembri, Novembri, qui habent medium copiam 106 usque ad 128 milimetrorum.

Mensis omnium frigidissimus est Ianuarius, quo frigus est medium 6,9 graduum Celsianorum.

## 2. Historia

### 2.1 Roma quomodo condita sit




**Lupa Capitolina Romulum atque Remum lactans. Figuras infantium renascentiae demum aetate confectas esse iam pridem scimus, sed etiam ipsius lupae antiquitas nuper in dubium vocata est.**

Fabula fert Romam d.21. m.Apr. a.Chr.n. a Rômulo et Rémo conditam esse. A Romulo postea occisum esse Rénum fratrem eius geminum, cum is irrideret moenia a Romulo constructa. Fratres geminos genitos esse a deo Marte et Rheâ Silviâ sacerdote Vestali. Eosdem fratres in Tiberi flumine esse expositos, a lupâ lactatos, deinde a Faustulo pastore ad Velabrum prope collem Palatinum inventos et educatos esse.

Nomen Romae unde derivatum sit, adhuc incertum est. De origine huius nominis inde ex aetate antiquâ docti inter se dissentunt. Minus verisimile est nomen Romae exortum esse e Graeco verbo *Ρώμη* (Rómē), quod significat „audaciam, fortitudinem“. Magis

persuadibile est nomen pertinere ad radīcem \*rum-, „mamma“, qua fortasse alluditur ad lupam, quae mytho narratur lactavisse Rōmulum et Rēmum. Ceterum nescimus an nomen Romae derivatum sit a *Rumina*, gente Etruscâ.



#### **Septem colles urbis Romae.**

Die, quo Roma condita esse traditur, incohatur calendarium Romanum, cuius anni computantur *ab urbe conditâ* (quae verba abbreviantur per *a.u.c.*). In Colle Palatino effossae sunt reliquiae habitaculorum circa a.1000 a.Chr.n. aedificatorum; verisimile est nonnullos vicos Latinos et Sabinos circa annum 800 a.Chr.n. (fortasse ab Etruscis) in unum oppidum esse coniunctos.

## Aetas regum reique publicae liberae

Nonnulli historici sentiunt singulas colonias ad unam civitatem redactas esse reverâ circa annum urbis conditae, qui mytho traditur. Septem colles notissimi sunt Palatinus, Aventinus, Capitolinus, Quirinalis, Viminalis, Esquilinus, Caelius. Hodie autem territorium urbis etiam complectitur colles, qui appellantur Ianiculum et Vaticanus et Pincius.

Urbem Romam a principio reges tenuerê; primus Romuli successorum (qui maximam partem mytho tantum traditi sunt) fuisse a Tito Livio dicitur Numa Pompilius. Tarquinius Superbus ultimus rex Etruscus a Bruto fugatus est (quod factum esse a.509 a.Chr.n. traditur, sed reverâ a.475 a.Chr.n. factum esse videtur). Deinde Roma facta est res publica libera. Tempore inter se pugnaverunt patricii nobiles et plebeii liberi, sed iurum expertes. Roma nunc coepit regiones propinquas sibi annexere.

Roma quamvis a.390 a.Chr.n. vix par esset Gallis invasoribus arcendis, tamen non desita est expandi. Ne urbs pergeret invadi, exstructus est murus Servianus (v. imaginem collum Romae). A.312 a.Chr.n. primus aqueductus et Via Appia sunt aedificatae. Roma autem est exaucta cum aliis tum praecipuê Bellis Punicis (264-146 a.Chr.n.) contra Carthaginienses Africae Septentrionalis incolas gestis, qui in terris Maris Inferi praevalebant.

Cum Tiberius et Gaius Sempronius Gracchi fratres tribuni populi leges agrarias novas assequi conati interficti essent, res publica Romana infirmabatur, usque dum in tantum discriminem adducta est, ut bella civilia erumperentur. Gaius Iulius Caesar dictator factus id assecutus est, ut nonnulla instituta corrigeret atque reformaret, sed a.44 a.Chr.n. interfactus est. Hôc tempore Forum Romanum iam tot aedificiis obsitum erat, ut esset augendum. Hac de causâ Caesar cooperat aedificare Forum Iulium.

## Aetas Caesarum.


Primo saeculo a.Chr.n. Roma cepit iam decies centena milia, i.e. milionem incolarum, necnon umbilicus erat Imperii Romani et geographicus et politicus. Eadem urbs instructa erat systemate aquarum affluentium defluentiumque et reti viarum subtiliter aedificato et *vigilibus*, qui officio fungebantur siphonariorum privilegiisque astynomicis. Tamen Romae exaedificatio, quae praecipuê sub Augusto herede Caesaris accelerata erat, magno incendio sub Nerone a.64 facto in quoddam tempus retardata est.



Basilica Maxentii

Flaviâ gente imperante (69–96 n.Chr.) multa et magna aedificari incepta sunt, inter quae fuerunt nonnulla monumenta illustrissima, qualia sunt Colosseum et pars quaedam fororum Caesareorum. Ultimum horum fororum saeculo secundo sub Traiano est perfectum. Hoc tempus saepe iudicatur fuisse Imperii Romanum florentissimum. Magnae thermae, quales fuerunt a Caracallâ et Diocletiano constructae et quibus ipsae bibliothecae erant inclusae, Romanis factae erant res cottidianeae.

Imperatores Romani quodam gigantismo, i.e. furore aedificia ingentia aedificandi, correpti etiam etiamque maiora aedificia aedificabant, qualis



Roma qualis fuerit aetate antiqua.

est Basilica Maxentii. Hoc furore aedificandi quodammodo videtur iam praenuntiari imperii Caesarum interitus. Porro saeculo tertio aedificatus est murus Aurelianus, cum urbs ultra limites muri Serviani exulta esset.

### Aetas antiquitatis posterioris Imperiique interitus

Aetate antiquitatis posterioris ineunte Roma maximum numerum incolarum assecuta est; plerique historici computant Romam illo tempore incultam esse a sesquialtero ferè milione hominum.<sup>[3]</sup> At Urbis auctoritas mox deminuebatur, quia imperatores alias urbes sedes (inter quas erant Constantinopolis et Mediolanum et Augusta Treverorum et Thessalonice et Spalatum) praeferabant. Saeculis quinto et sexto ingentibus calamitatibus factis magnificentia Urbis antiqua finita est: Etiam muro Aureliano tertio saeculo exstructo impediri non potuit, ne Roma inter

gentium migrationem a.410 a Visigothis annoque 455 a Vandals diriperetur.

Imperium Romanorum Occidentale postquam a.476 interiit, instituta urbana bene nota, qualia erant colosseum atque thermae Diocletiani, primo pergebant coli atque frequentari; quamvis numerus incolarum deminueretur, Romani pergebant vitam colere more solito. Procopius affirmat Ostrogothis imperantibus usum aedificiorum servatum esse. Circa annum 530 Romae adhuc vixerunt centum ferē milia hominum. Gothico demum bello, quo Iustianus imperator Imperii Romani Orientalis studuit Urbem recuperare, cultus civilis humanusque urbis Romae miserrimē afflictus est. Quo bello funditus deleti sunt ferē omnes Romae aqueductus (a.537), exstinctus est ordo senatorum, qui heredium antiquum servaverat, pugnis obsidionis inter Romanos orientales et Ostrogothos factis vita urbana per complures annos intermissa est.

Ultimum aedificium antiquitatis posterioris est **Columna Phocae** a.608 exstructa. Non multum afuit, quin Urbs penitus destrueretur. Licet Roma iure ex anno 554 denuo pertineret ad Imperium Romanum Orientale, tamen temporibus migrationis gentium Roma magis magisque administrabatur a magistratibus papalibus. Inter saecula octavum et undecimum Urbs iterum iterumque obsidebatur et petebatur et diripiebatur a Langobardis et Saracenis et Normannis, ut territorium Urbis inculta interdum vix trans ripam fluminis Tiberis pertingeret.

(ALTERA PARS SEQUETUR !)

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
DE URBE ROMA SCRIPTAM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**  
**NICOLAUS GROSS**  
<http://www.leolatinus.com/>

**MYTHI GRAECORUM (XXIV): Iasonem Aeētae voluntati obtemperare**  
Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscē narrati, a Nicolao Groß Latinē redditī.

### Iasonem Aeêtæ voluntati obtemperare

Sic discesserunt. Iason laetè ad sodales navemque revertit. Virgo se contulit ad ministras. Quae ad eam properabant; sed Medea illas non videbat, quia anima eius per nubes volitabat. Curru levibus pedibus inscenso mulos incitavit, qui suâ sponte domum currebant, et ad palatium revénit. Hîc Chalciope de filiis sollicitata iam pridem Medeam exspectaverat. Quae in sellâ sedebat caput inclinatum manu sinistrâ nixa; eius oculi sub ciliis madebant; nam deliberabat, cuius mali societati esset involuta.

Interim Iason sodalibus narravit, quomodo virgo sibi dedisset remedium magicum magnificum; simul illis offerebat unguentum. Omnes laetabantur; excepto Idâ heroë, qui seorsim sedens irâ incensus frendebat dentibus. Postridie mâne duos viros emiserunt semen draconis rogatum ab Aeetâ, qui non diu negavit. Ìdem illis dentes dedit eiusdem draconis, quem Cadmus prope Thebas occîderat. Hoc fecit animo fidenti; nam putabat omnino non fieri posse, ut Iason certamen superaret, etsi eidem contigisset, ut tauros subiugaret. Nocte sequente Iason laetus Hecatae ita sacrificavit, ut a Medeâ iussus erat. Precibus Iasonis auditis e speluncis vénit abditissimis dea ipsa horribilis, quae circumplexa erat taetris colubris ramisque quercuum flammantibus. Canes infernales circa eam latrantes cursabant. Illâ gradiente pratum tremebat, nymphae fluvii Phasis ululabant. Ipse Iason domum iens terrore correptus est, sed mandati mulieris amatae obsequens non convertit, usque dum reveniret ad socios: et iam supra culmen Caucasi aurora effulsit.

Nunc autem Iason induit lorîcam suam duram, quam Mars in campo Phlegraeo rapuerat Mimae giganti; capiti suo imposuit cassidem auream quattuor cristis instructam et apprehendit scutum e quattuor cutibus compositum, quod praeter Herculem nullus heros alias tollere poterat. Filius ei retinebat equos currui adiunctos; quem ascendit et habenis manu arreptis ex urbe evolabat, innumeris hominibus sequentibus. Volebat particeps fieri spectaculi ipse tamquam ad pugnam paratus. Iason autem secundum Medeae pracepta oleo magico unixerat hastam et gladium et scutum. Circa eum sodales hastam temptabant armis suis, at eadem durius resistebat quam ut ab illis paululo incurvaretur: quae manu solidâ inclusa lapidi similis facta erat. De hac re Idas filius Apharei indignatus gladium pepulit in scapum cuspidi subsitum; at quia gladius rejectus est tamquam malleus reicitur incide, heroes spe victoriae laetè conceptâ iubilaverunt. Nunc demum Iason corpus quoque unxit; tum sensit omnia membra sua imbui vi mirabili, ambas manûs corroborascentes videbantur pugnandi esse cupidissimae. Ut equus bellicus hinniens humum calcat, surgit, auribus arrectis caput tollit, ita

Aesonides spiritu pugnandi inductus pandiculatus pedes sustulit, scutum aeneum hastamque manu vibravit. Deinde heroes cum duce usque ad campum Martis remigaverunt, ubi regem Aeetam Colchorumque multitudinem convenerunt, illum in ripâ, eos in scopulis Caucasi collocatos. Nave alligatâ Iason hastâ atque scuto armatus ex illâ prosiluit et statim accepit fulgidam cassidem dentium draconis acutorum plenam. Tum loro gladium ex umeris suspendit et progressus est maiestate similis Marti aut Apollini. Per planitem circumspiciens mox vidi aenea iuga taurorum humi posita, iuxtaea ea aratrum vomeremque, quae omnia ferro confecta integra malleo ducta erant. Instrumentis perspectis cuspidem ferream affixit scapo hastae solidi cassidemque depositus. Deinde scuto obtectus progressus est vestigia bestiarum indagans.



**IASON ET TAURI AEETAE.** Sculptura aenea circa a.1920 a W. Lenck confecta.

At tauri improviso ex aliâ parte e quodam hypogêo erupérunt, ubi erant stabula solita, ambo ignem e naribus efflantes crassoque fumo convoluti. Monstris conspectis amici Iasonis territi sunt, sed Iason ipse pedibus pansi, scuto protenso impetum taurorum exspectabat tamquam saxum marinum exspectat fluctûs. Tauri reverâ venérunt cornua propulsantes in Iasonem incursabantur, tamen eorum impetu ne unum quidem

membrum Iasonis est commotum. Ut in officinis ferrariis folles frementes nunc efficiunt, ut scintillent ignes ingentes, nunc spiritum sistunt, ita illi tauri impetum repetebant mugientes flamasque vomentes, ut scintillae circa heroem micarent tamquam fulgura. At is ipse servabatur virginis remedio magico. Denique taurum dextrum cornu extremo correpto omnibus viribus prostraxit, usque dum traheret ad eum locum, ubi erat iugum aeneum. Ibi ungulos aeneos tam vehementer calcavit, ut taurus genubus incurvatis humum procumberet. Eodem modo coegit alterum quoque taurum in se incursantem, ut idem uno tantum ictu humum prosterneretur. Tum scuto lato abiecto tauros deiectos utrâque manu detinuit eorum flammis obtectus. Aeetes non potuit, quin admiraretur robur huius viri ingentem. Interim Castor et Pollux, ut convenerat, Iasoni dedérunt iuga humi posita, quae is securê affixit bestiarum cervicibus. Tum temônem aeneum sublatum ânulo iugi inseruit. Nunc fratres gemini ignem celeriter reliquêrunt, nam in eundem non erant tam protecti quam Iason. Is autem scutum receptum loro alligatum dorso iniecit; deinde etiam casside dentium draconeorum plenâ apprehensâ hastam cepit eamque impingens iratos et flammigeros coegit, ut aratrum traherent. Viribus taurorum ingentisque aratoris humus vehementer proscissa est, ut glaebae vastae in sulcis creparent. Iason ipse firmo gradu tauros secutus dentes sólo arato inserebat, cautê respiciens, ne in se surgerent semina virorum draconigenarum germinantia; bestiae autem unguis aeneis laborantes terram proruebant. Tertiâ parte diei relictâ, lucido tempore postmeridiano, tota planities, quamvis quattuor iugera complecteretur, arata erat ab aratore indefesso, et nunc tauri a iugis liberati sunt; quos heros fugavit armis, ut fugerent per campum apertum; ipse revertit ad navem, dum videt sulcos adhuc esse a terrigenis vacuos. Magnis vocibus acclamantes sodales Iasonem circumstîtrunt; is autem nihil loquens aquâ fluminis cassidi infusâ sitim suam ardentem explevit. Deinde artibus genuum temptatis animum novâ pugnandi cupiditate imbuit more apri spumantis, qui dentes acuit in venatorem impacturus. Nam praeter totum iam campum semina germinaverant: totus iam lucus Martis scutis acutisque hastis horrebat cassidibusque fulgebat, ut per aera usque ad caelum nitêret. Tum Iason verbum Medeae prudentis recordatus in campo comprehendit tantum lapidem rotundum, quantum humo tollere non poterant quattuor viri robusti; at Iason lapidem leviter arreptum saliens proiecit in medios bellatores terrigenas longê remotos. Iason ipse genibus flexis tam audacter quam cautê sub scutum se abdidit. Colchi autem magnâ voce exclamavêrunt sicut mare fremit scopolis acribus fractum; Aeetes ipse admiratione completus conspexit in lapidem ingentem projectum. Terrigenae autem more canum celerum unus alium adorti occidebant fusco stridore edito; hastis icti prolabebantur in matrem suam Tellurem tamquam abietes aut quercûs turbinibus abreptae. Terrigenae medio in proelio cum versarentur, Iason

in illos invictus tamquam stella cadens, quae mirabiliter proicitur medium per aëra nocturnum. Nunc gladio destriktō hīc et illīc plāgas ferebat, alios occīdebat iam stantes, alios ad umeros demum qui eccreverant, tamquam grama resecabat; alios iam pugnaturos decollabat. Sulci autem sanguine redundabant tamquam rivus deductorius; saucii et mortui in omnes partes prosternebantur et multi capitibus cruentatis in tantam altitudinem sunt delapsi, in quantam e sólo emerserant.

At rex Aeetes haec aegrē tulit; nullo verbo dicto conversus in urbem revertit nihil cogitans nisi, quomodo efficacius in lasonem animadverteret. His rebus cum dies esset consumptus, heros, cui amici gratulabantur, requievit a laboribus.

**MYTHUM ARGONAUTARUM  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

**NICOLAUS GROSS**

<http://www.leolatinus.com/>

**VOCABULA DOMESTICA (VIII)**  
*ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinē redditā*

CORBEIL,Jean-Claude/ARCHAMBAULT,Ariane: PONS Bildwörter-buch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscā et Anglicā et Francogallicā et Hispanicā et Italicā. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas septimam partem domesticam huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam (**VOCABULA DOMESTICA VIII = VII. DOMESTICA VIII**).

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

Theodisce p.272	Anglice	Francogallice	Hispanice	Italice	LATINE
Elektrizität	electricity	électricité	electricidad	elettricità	*electricitās, -ātis f.

<b>Verteilerkasten</b>	distribution panel	panneau de distribution	cuadro de distribución	pannello di distribuzione	<b>receptāculum distribūtīvum</b>
<b>ausbrechbare Kabeldurch-führung</b>	knockout cable entry	débouchure	aguero ciego	predisposizione sbocco cavi	<b>apertūra +capulī praedisposita</b>
<b>Verbindungs-draht</b>	bonding terminal	connecteur de liaison	borne de enlace	morsetto di collegamento a massa	<b>filum cōnexīvum</b>
<b>240V Speisekabel</b>	200-volt feeder cable	câble d'alimentation à 240 V	cable de alimentación de 240 voltios	cavo di alimentazione a 240 volt	<b>capulum altile 240 *voltiōrum</b>
<b>Durchgangs-tülle</b>	connector	connecteur de conduit d'entrée	conector	connettore	<b>cōexus adituālis</b>
<b>Leistungskabel</b>	main power cable	conducteur d'alimentation	cable principal	cavo di potenza	<b>capulum prīcipāle</b>
<b>Erdungsdraht</b>	earthing bond	fil de liaison	cable de enlace	conduttore di terra	<b>filum terrestre</b>
<b>240V Stromkreis</b>	240-V circuit	circuit à 200 V	circuito de 240 voltios	circuito a 240 volt	<b>circuitus 240 voltōrum</b>
<b>120V Stromkreis</b>	120-V circuit	120-V circuit	circuito de 120 voltios	circuito a 120 volt	<b>circuitus 120 voltōrum</b>
<b>Nullleiter-verbinder</b>	neutral service wire	fil de service neutre	cable principal neutro	filo neutro di alimentazione	<b>altilē filum neutrāle</b>
<b>Spannungs-sammel-schiene</b>	hot bus bar	barre collectrice	regleta colectora térmica	barra collettrice sotto tensione	<b>rēgula tēnsiōnis collectrīx</b>
<b>Masse</b>	earth	prise de terre	toma de tierra	terra	<b>massa (terrae) conductrīx</b>
<b>Kunststoff-isolator</b>	plastic insulator	isolant en plastique	aislante plástico	isolante in plastica	<b>*īnsulāmen plasticum</b>
<b>Erdleitung</b>	earth wire	fil de terre	cable de tierra	filo di terra	<b>capulum terrestre</b>
<b>Erdanschluss</b>	earth connection	prise de terre	toma de tierra	presa di terra	<b>cōexus terrestris</b>
<b>Schraub-klemme</b>	terminal	borne	terminal	terminale	<b>*terminal, -ālis n.</b>
<b>Nullleiter-sammel-schiene</b>	earth block	barre collectrice neutre	regleta de neutro/ de tierra	morsettiera di terra	<b>rēgula filī neutrālis collectrīx</b>
<b>Nullleiter = PEN-Leiter (= protective earth neutral)</b>	neutral wire	fil neutre	cable neutro	filo neutro	<b>filum neutrāle (prōtēctīvum)</b>
<b>Fehlerstrom-schutzschalter</b>	earth fault circuit breaker	disjoncteur de fuite de terre	fusible de seguridad de tierra	interruttore differenziale	<b>*mūtāmen sēcūritātis *differentiāle</b>
<b>einpoliger Schalter</b>	single pole circuit breaker	disjoncteur unipolaire	interruptor automático unipolar	interruttore unipolare	<b>*mūtāmen *ūnīpolāre</b>
<b>zweipoliger Schalter</b>	double pole circuit breaker	disjoncteur bipolaire	interruptor automático bipolar	interruttore bipolare	<b>*mūtāmen *bipolāre</b>
<b>Hauptschalter</b>	main circuit breaker	disjoncteur principale	interruptor automático	interruttore principale	<b>*mūtāmen</b>

			principal		<b>prīcipāle</b>
<b>Beispiele für Sicherungen</b>	examples of fuses	exemples de fusibles	ejemplos de fusibles	esempi di fusibili	<b>exempla *asphalistrōrum</b>
<b>Patronen-sicherung</b>	cartridge fuse	fusible-cartouche	fusible de cartucho	fusibile a cartuccia	<b>*asphalistron embolōrum</b>
<b>Stössel-sicherung</b>	plug fuse	fusible à culot	fusible de rosca	fusibile a tappo	<b>*asphalistron obtūrāculī</b>
<b>Messer-sicherung</b>	knife-blade cartridge fuse	fusible-cartouche à lames	fusible de bayoneta	fusibile a cartuccia con terminali a coltello	<b>*asphalistron *cultellātum</b>
<b>p.273 Hausanschluss</b>	network connection	branchement au réseau	conexión a la red	allacciamento alla rete	<b>cōnexiō domestica</b>
<b>Strom-anschluss-punkt</b>	supply point	point d'alimentation	cables de suministro	punto di alimentazione	<b>subministrātūra capulōrum</b>
<b>Haupt-anschluss</b>	customer's supply	branchement de l'abonné	entrada del suministro	ingresso dell'alimentazione dell'utente	<b>aditus *subministrātūrae</b>
<b>Verbindungs-punkt</b>	connection point	point de raccordement	conexión	punto di allacciamento	<b>cōnexiō, -ōnis f.</b>
<b>Phase</b>	phase conductor	conducteur d'alimentation	conductor de fase	conduttore di fase	<b>*condūcimentum *phasicum</b>
<b>Mittel-spannungs-leitung</b>	medium-tension distribution line	ligne de distribution à moyenne tension	cables de tensión mediana	linea di distribuzione a media tensione	<b>līnea tēnsiōnis mediae</b>
<b>Nullleiter</b>	neutral conductor	conducteur neutre	conductor neutral	conduttore neutro	<b>*condūcimentum neutrāle</b>
<b>Nieder-spannungs-leitung</b>	low-tension distribution line	ligne de distribution à basse tension	cables de baja tensión	linea di distribuzione a bassa tensione	<b>līnea tēnsiōnis īferiōris</b>
<b>Erdleitung</b>	earth wire	conducteur de mise à la terre	conexión de tierra	cavo di messa a terra	<b>conductus terrestris</b>
<b>Verteiler-schleife</b>	distributor service loop	branchement du distributeur	cables de conexión	circuito di distribuzione	<b>circuitus distribūtīvus</b>
<b>Stromzähler</b>	electricity meter	compteur d'électricité	contador eléctrico	contatore elettrico	<b>*ēlectrometrum, -ī n.</b>
<b>Haupt-schalter</b>	main switch	interrupteur principal	interruptor principal	interruttore principale	<b>*mūtāmen prīcipāle</b>
<b>Wartungs-kasten</b>	main junction box	coffret de branchement	caja de servicio	scatola di servizio	<b>receptāculum cūrātorium</b>
<b>Verteiler-Kasten</b>	distribution board	panneau de distribution	tablero de distribución	quadro di distribuzione	<b>receptāculum distribūtīvum</b>
<b>Sicherung</b>	fuse	fuse	fusible	fusibile	<b>*asphalistron,-ī n. (ēlectricum) (e.g. Schmelzsicherung = *asphalistron fūsibile; elektronische Sicherung = *asphalistron *ēlectronicum)</b>

<b>Kilowatt-stundenzähler</b>	watt-hour meter	compteur d'électricité	contador de kilovatio-hora	contatore di kilowattora	* <b>electrometrum</b> , -ī n.
<b>Abdeckung</b>	cover	couvercle	tapa	calotta	<b>integumentum</b> , -ī n.
<b>Voll-belastungs-stellschraube</b>	full-load adjustment screw	vis de réglage de grand débit	tornillo de regulación para carga completa	vite di regolazione a pieno carico	<b>cochlea rēgulātrīx oneris complētī</b>
<b>Ziffernblatt</b>	dial	cadran	cuadrante	quadrante	<b>circulus index</b>
<b>Drehscheibe</b>	disc	disque	disco	disco	<b>discus</b> , -ī m.
<b>Strom-verbraucher-nummer</b>	consumer number	numéro de l'abonné	número del consumidor	numero dell'utente	<b>numerus cōsūmptōris</b>
<b>Grundplatte</b>	base	socle	base	base	<b>basis</b> , -is f.
<b>Leicht-belastungs-stellschraube</b>	light-load adjustment screw	vis de réglage de petit débit	tornillo de regulación para carga ligera	vite di regolazione a basso carico	<b>cochlea rēgulātrīx oneris minōris</b>
<b>Kennplakette</b>	name plate	plaqué signalétique	placa indicadora	piastrina dei dati	<b>lāmina index</b>
<b>Registrier-einheit</b>	register	minuterie	registro	numeratore	+ <b>registrum</b> , -ī n.
<b>p.274 Kontakt-elemente</b>	contact devices	dispositifs de contact	dispositivos de contacto	dispositivi di contatto	<b>elementa contactūs</b>
<b>Schukostecker</b>	European plug	fiche européenne	enchufe de tipo europeo	spina europea	<b>spīna europaea</b>
<b>Zug-entlastungs-klemme</b>	clamp	étrier	abrazadera	morsetto	* <b>fībicula</b> , -ae f.
<b>Stift</b>	pin	broche	contacto	spinotto	<b>spīnula</b> , -ae f.
<b>Erdungs-klemme</b>	earth terminal	contact de terre	terminal de tierra	terminale di messa a terra	* <b>terminal terrestre</b>
<b>Anschluss-klemme</b>	terminal	borne	terminal	terminale	* <b>terminal</b> , -ālis n.
<b>Kappe</b>	cover	couvercle	tapa	coperchio	<b>integumentum</b> , -ī n.
<b>dreipoliger, amerikanischer Stecker</b>	American plug	fiche américaine	clavija de tipo americano	spina americana	<b>spīna americāna</b>
<b>Spannungs-stift</b>	pin	lame	contacto	spinotto	<b>spīnula (tēnsiōnis)</b>
<b>Erdungsstift</b>	earthing pin	contact de terre	contacto de conexión a tierra	spinotto di messa a terra	<b>spīnula terrestris</b>
<b>Schalter</b>	switch	interrupteur	interruptor	interruttore	<b>mūtāmen</b> , -inis n.
<b>Schalter-abdeckplatte</b>	escutcheon plate	plaqué de commutateur	placa del interruptor	placca dell'interruttore	<b>lāmina mūtāminis</b>
<b>Schuko-steckdose</b>	European outlet	prise de courant européenne	clavija europea	presa europea	<b>capsa (contactūs) europaea</b>
<b>Schutz-kontaktbügel</b>	male grounding pin	contact de terre	conector de tierra macho	maschio della messa a terra	<b>connecticulum terrārium</b>

<b>Steckbuchse</b>	socket-contact	alvéole	alveolo	alveolo della presa	<b>alveolus, -ī m.</b>
<b>Adapter</b>	plug-adapter	adaptateur de fiche	adaptador de enchufes	adattatore	<b>*adaptāmentum, -ī n.</b>
<b>dreipolige Steckdose</b>	three-pin socket	prise de courant	enchufe	presa per spina americana	<b>capsa (contactūs) americāna</b>
<b>Buchsenhalter</b>	electrical box	boîte d'encastrement	caja de conexiones	scatola da incasso	<b>+scatula cōnexiōnum</b>
<b>Dimmerschalter</b>	dimmer switch	gradateur	comutador de intensidad	reostato	<b>mūtāmen intēnsitātis</b>
<b>Beleuchtung</b>	lighting	éclairage	iluminación	illuminazione	<b>illūminātiō, -ōnis f.</b>
<b>Glühlampe</b>	incandescent light bulb	lampe à incandescence	bombilla incandescente	lampadina a incandescenza	<b>bulbus incandēscēns</b>
<b>Glühfaden</b>	filament	filament	filamento	filamento	<b>filāmentum, -ī n.</b>
<b>Halter</b>	support	support	soporte	supporto	<b>tenāculum, -ī n.</b>
<b>Stab</b>	stem	pied	varilla	asta	<b>pediculus, -ī m.</b>
<b>Wärmedeflektorscheibe</b>	heat deflecting disc	déflecteur de chaleur	disco desviador de calor	disco deflettore del calore	<b>discus calōris dēflectendī</b>
<b>Entladungs-röhre</b>	discharge tube	queusot	tubo de escape	tubo di estrazione dell'aria	<b>tubus *discarricātiōnis</b>
<b>Edelgas</b>	inert gas	gaz inerte	gas inerte	gas inerte	<b>*gāsum iners</b>
<b>Knopf</b>	button	bouton	botón	bottone	<b>+botō, -ōnis m.</b>
<b>Zuleitungs-draht</b>	input wire	entrée de courant	entrada de corriente	filo conduttore	<b>filum conductōrium</b>
<b>Quetschfuß</b>	pinch	pincement	pie	codetta	<b>pēs compressus</b>
<b>Sockel</b>	cap	culot	casquillo	attacco	<b>cappa, -ae f.</b>
<b>Wolfram-Halogen-lampe</b>	tungsten-halogen bulb	lampe à halogène	lámpara halógena	lampada alogena al tungsteno	<b>lampas *halogena</b>
<b>Wendelhalter</b>	filament support	support du filament	filamento	supporto del filamento	<b>tenāculum filāmentī</b>
<b>Kolben</b>	bulb	ampoule	ampolla	bulbo	<b>bulbus, -ī m.</b>
<b>Wolframwendel</b>	tungsten filament	filament de tungstène	filamento de tungsteno	filamento di tungsteno	<b>filāmentum *volfrāmiātum</b> [Neues Journal der Physik, Hgg. v. D.Fr.Albr. Carl Gren, Prof. der Physik zu Halle, Leipzig 1795, Band 2, Entwurf einer neuen chemischen Nomenclatur, die auf keine Hypothesen gegründet ist, p.282: Wolframium – Wolfram – tungstenum.]
<b>Elektrischer Kreislauf</b>	electric circuit	circuit électrique	circuito eléctrico	circuito elettrico	<b>circuitus electricus</b>

<b>Sockel</b>	cap	culot	casquillo	attacco	<b>cappa,-ae f.</b>
<b>Kontakt</b>	contact	plot	contacto	contatto	<b>contactus, -us m.</b>
<b>Edelgas</b>	inert gas	gaz inerte	gas inerte	gas inerte	<b>*gāsum iners</b>
<b>p.275 Teile einer Lampen- fassung</b>	parts of a lamp socket	éléments d'une douille de lampe	componentes del portalámpara	componenti del portalampada	<b>partēs lampadophorī</b> [2. <a href="http://www.utexas.edu/research/ica/publications/ICA_publications/ICA_annual_reports/2003AnRpt_SCRN.pdf">http://www.utexas.edu/research/ica/publications/ICA_publications/ICA_annual_reports/2003AnRpt_SCRN.pdf</a> p.44sq.]
<b>Kappe</b>	cap	capuchon	tapa	cappellotto	<b>cappa, -ae f.</b>
<b>Fassung</b>	socket	douille	casquillo	zoccolo	<b>phorion, -ī n.</b>
<b>Isolierhülse</b>	insulating sleeve	gaine isolante	manga de aislamiento	manicotto isolante	<b>manica īnsulātrīx</b>
<b>äußere Hülse</b>	outer shell	enveloppe	cubierta	protezione esterna	<b>involutrum externum</b>
<b>Lampen- fassung</b>	lampholder	douille de lampe	portalámparas	portalampada	<b>lampadophorion, -ī n.</b>
<b>Bajonett- fassung</b>	bayonet cap	culot à baïonnette	bombilla de bayoneta	attacco a baionetta	<b>cappa +gladiolāta</b>
<b>Schraub- fassung</b>	screw cap	culot à vis	bombilla de rosca	attacco a vite	<b>cappa cochleāta</b>
<b>Kolben</b>	tube	ampoule	ampolla de vidrio	bulbo	<b>bulbus vitreus</b>
<b>Energie- sparlampe</b>	energy saving bulb	lampe à économie d'énergie	bombilla de bajo consumo	lampadina a risparmio di energia	<b>lampas parca lucerna parca</b> [PROP.]
<b>Leuchtstoff- Röhre</b>	fluorescent tube	tube fluorescent	tubo fluorescente	tubo fluorescente	<b>tubus fluorēscēns</b>
<b>Cliphalterung</b>	tube retention clip	attache du tube	clip de ajuste	dispositivo di fissaggio del tubo	<b>fībicula tubī affīgendī</b>
<b>Röhrenfassung</b>	mounting plate	plaqué de montage	placa de instalación	piastra di supporto	<b>*tubitenāculum, -ī n.</b>
<b>Gehäuse</b>	housing	boîtier	pantalla	alloggiamento	<b>capsa, -ae f.</b>
<b>Elektronisches Vorschaltgerät</b>	electronic ballast	ballast électronique	electrodos	regolatore di corrente	<b>*electrodiūm, -ī n.</b>
<b>Sockel</b>	cap	culot	casquillo	attacco	<b>cappa, -ae f.</b>
<b>Kolben</b>	bulb	ampoule	ampolla	bulbo	<b>bulbus, -ī m.</b>
<b>Leuchtstoff- Röhre</b>	fluorescent tube	tube fluorescent	tubo fluorescente	tubo fluorescente	<b>tubus fluorēscēns</b>
<b>Zuleitungs- draht</b>	input wire	entrée de courant	entrada de corriente	filo conduttore	<b>filum conductōrium</b>
<b>Elektrode</b>	electrode	électrode	electrodo	elettrodo	<b>ēlectrodus, -ī f.</b>

<b>Phosphor-</b>		phosphorescent coating	couche fluorescente	revestimiento de fósforo	rivestimento fluorescente	<b>lōrīcātiō</b> <b>*phōsphorica</b>
<b>s</b>						
<b>c</b>						
<b>hi</b>						
<b>c</b>						
<b>ch</b>						
<b>t</b>						
<b>Stiftsockel</b>	pin base	culot à broches	base del tubo	attacco a spina	<b>basis tubī</b>	
<b>Kolben</b>	bulb	tube	tubo	tubo	<b>tubus</b> , -ī m.	
<b>Stift</b>	pin	broche	pata	spinotto	<b>spīnula</b> , -ae f.	
<b>Gas</b>	gas	gaz	gas inerte	gas	<b>*gāsum</b> , -ī n.	
<b>Quecksilber</b>	mercury	mercure	mercurio	mercurio	<b>*hydrargyrus</b> , -ī m.; <b>*mercurius</b> , -ī m.	
<b>Quetschfuß</b>	pinch	pincement	pie del electrodo	codetta	<b>pēs compressus</b>	
<b>Entladungs- röhre</b>	discharge tube	queusot	tubo de escape	tubo di estrazione dell'aria	<b>tubus</b> <b>*discarricātiōnis</b>	
<b>Wolfram- Halogenlampe</b>	tungsten- halogen bulb	lampe à halogène	lámpara halógena	lampada halógena al tungsteno	<b>lampas</b> <b>*halogena</b>	
<b>Stift</b>	pin	broche	contacto	spinotto	<b>spīnula</b> , -ae f.	

**Haec vocabula domestica**  
**excerpsit et in Latinum convertit**  
**Nicolaus Groß**  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA DOMESTICA IX

# VOTA NATALICIA



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR,**



**IN ANNI MMX  
NATALE DOMINI**

**LEO LATINUS**



**OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
QUADRAGESIMAM QUARTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Festi Natalicii die primo, i.e. 25º m.Dec., a.2010**  
**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**